


LVNÆ DIE 20 M. AVGVSTI A. 2007

A.d. XIII Kal. Septembres a. MMVII

I 39

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIS
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

DE QVODAM TRISTI DIE NATALI

Ante quinquaginta annos, die 25 m. Martii a. 1957, Romæ magna cum sollemnitate pactum est Fœdus Romanum, unde nascebatur Communitas Œconomica Europæa. Quinquagesimum diem natalem foederis tanti momenti oportuit esse occasionem magnæ iucundæque celebrationis. Aliter vero sese res habuerunt. ¶ Certe post semisæculum magni progressus facti sunt in re œconomica. Tempus iam non est, quo timebam non-nullas vini lagœnas in autocineto conditas clanculum e Francogallia domum reportare ; disparuerunt enim timendi telonarii. Merces et homines per totam Unionem libere commeant. Etiam ab anno 2002 complures Unionis nationes eadem moneta utuntur, qua singula regimina impediuntur ne monetæ nationalis valorem mutent ad propositum plerumque politicum assequendum ; hi euronummi nunc in orbe terrarum magni æstimatorum. Multum tamen abest ut oriatur res publica Europæa. ¶ Testes alterius belli mundani, ut ego sum, in dies rariores fiunt. Iuvenes hodierni sibi non fingunt quantam cladem hoc bellum Europæis attulerit : ubique ruinæ et paupertas, industria iacens et, non minoris momenti, inexpiable odium inter vices et victos. Cum hoc iam bis intra vicesimum sæculum accidisset, ne iterum accideret, nonnulli præstantes præcaventesque homines, quorum primus fuit Iohannes Monnet, suadere ausi sunt ut crearetur confœderatio Europæa. In conventu Hagæ Comitum anno 1948 habito, qui dicitur « Conventus Europæ », monitum est « Europam in magno discrimine esse, Europam divisam esse et præcipuarum minarum causam esse ipsam Europæorum divisionem ». ¶ Inde ortus est potens Motus Europæus, cuius opera res citato gradu progressæ sunt. Anno 1949 creatur Consilium Europæum ; eius sedes Strateburgi consulto collocatur, in urbe ad Rhenum sita, i.e. ad limitem inter pristinos hostes. Creatores ei potentiam politicam conferre volunt, quam re vera numquam habebit. Anno 1950 Brugis instituitur Collegium Europæum, ad iura et historiam Europæ docendam. ¶ Eodem anno Iohannes Monnet Mauritio Schuman, Francogalliæ rerum exteriarum administro, suadet ut collegas exhortetur ad Francogalliæ et Germaniæ chalybeam productionem communi auctoritati submittendam. Sic anno post fit ut creetur « Communitas Europæa Carbonis et Chalybis », quam participant, præter Francogalliam et Germaniam, Italia, Belgica, Nederlandia et Magnus Ducatus Luxemburgensis. Hic est ortus « Europæ sex sodalium », quæ vocatur. ¶ Anno 1952 pangitur Tractatus Parisiensis, quo creatur « Communitas Europæa Defensionis » ; quæ comprobatur a regimini-bus Francogalliæ, Germaniæ, Italiæ et consociationis

Benelux, sed nondum a nationum parlamentis. Tunc incohatur « Pugna de Communitate Europæa Defensionis », quæ dicitur, inter Europæ fautores et nationalistas. ¶ Anno 1953 instituitur « Organizatio Europæa Requisitioni Nucleari dicata » (CERN), quæ adhuc plurimum valet in investigationibus physicæ fundamentalis. ¶ Medio anno 1954 parlamentum Francogallicum Communitatem Europæam Defensionis recusat, suffragiis mirabiliter coniunctis communistarum, Unionis Sovieticæ clientium, et nationalistarum, generalis de Gaulle studiosorum. Est magna clades, propter quam inhibetur impetus Motus Europæi. Constructio Europæ videtur relicta. ¶ Iohannes Monnet spem tamen non deponit ; cum rerum externarum administris Paulo Henrico Spaak Belga et Iohanne Villelmo Beyen Nederlando, consilium init Mercatum Communem creandi. Quod propositum haud libenter considerant administris anno 1955 Tauromenii congregati, quibus tamen monetur hoc : « Si Europæi inter Americanos et Sovieticos exsistere volunt, oportet eorum nationes cooperentur ». ¶ Francogallia autem adhuc putat se solam agere posse, sed hic nationalismus anno 1956 duobus eventis temperatur. Primum enim Hungari, qui aliquam libertatem recuperare conati sunt, ferociter opprimuntur Sovieticorum curribus cataphractariis. Deinde, cum Francogalli una cum Anglis euripum Suesiensem, ab Ægyptiis modo nationalizatum, vi recuperare conentur, ab Americanis impediuntur ne victoria fruantur. Francogalli tunc intelligunt se in orbe terrarum iam nullius ponderis esse. ¶ Sic fit ut anno 1957, decem fere annis post Motus Europæi ortum, Communitas Œconomica Europæa Fœdere Romano tandem creetur, quamquam ibi solum de rebus œconomicis agitur. ¶ Postea vix fiunt progressus in re publica Europæa instituenda, quamquam Unio Sovietica manet magnum periculum, a quo se defendere Europæi non valent ; Americanorum tutelæ confidunt sine verecundia et sine prudentia. ¶ Anno 1973 Magna Britannia admittitur in Communitatem Œconomicam Europæam, id quod incremento eius vis politicæ prodesse non potest, cum Britannia iam complura sæcula operam det ne magna potentia in Europa oriatur. ¶ Anno 1979 primum eligitur Parlamentum Europæum. ¶ Anno 1992 fœdere Traiectus ad Mosam nomen Communitatis mutatur in Unionem Europæam, cuius participes in annos frequentiores fiunt. ¶ Anno 2002 communis moneta Europæa in usum inducitur, sed non apud omnes Unionis civitates. ¶ Unio tamen nondum habet structuram rei publicæ ; quare Constitutio elaboratur, quæ se præcedentibus fœderibus substituat. Textus anno

2005 comprobatur a legatis omnium Unionis civitatum, sed restat ut etiam a singulis populis comprobetur. Res mira, neque Francogalli, neque Nederlandi Constitutionem accipiunt. Non solum res publica Europaea non exstat, sed multi dubitant de Unionis futuro. ¶ In hoc tristi contextu politico, die 25 m. Martii a. 2007, capita 27 regiminum Unionis Europae ab Angela Merkel, Germaniae capite, Berolinum invitantur ad celebrandum Fœdus Romanum ante quinquaginta annos pactum. Quod fit ore magis torto quam hilari ; nam de Unionis futuro valde dissentiant, ita ut nonnulli regentes dubitent Declarationem Berolinensem ab Angelina Merkel paratam subsignare. Satis tamen generalis est haec Declaratio, ubi imprimis memoratur nationes participes post tot tantaque bella inter se gesta nunc pacifice una vivere velle. Deinde enuntiantur principia in quibus nisi debet Unio Europaea : 1. ipsa persona humana supra omnia respicitur, eius dignitas est inviolabilis, eius iura sunt inalienabilia ; viri et feminæ iuridice sunt æquales ; 2. democracia viget in singulis civitatibus ; earum status in iure nititur ; mutuus respectus, responsalitas, prosperitas, securitas, tolerantia, distributio, iustitia et solidarietas sunt virtutes colendæ ; xenophobia et ras-

sismus sunt extirpandi ; 3. identitas traditaque singularum nationum servantur ; diversitas linguarum regionaliumque sunt divitiae Europæ. ¶ Denique monetur non deesse pericula, quæ minentur Europæ vivendi modo, ubi prosperitas œconomica coniungitur cum solidarietate sociali. Una tantum Europæos hæc pericula arcere posse, cum terrorismo et scelere constituto pugnare, energiam producere clima respiciendo. Constructio Europæ priorum somnum fecit rem ; oportet nunc Unio Europæ novis communibusque institutis confirmetur. ¶ Consilium Berolinense de his novis institutis statuere debet, sed tantæ sunt dissensiones inter 27 civitates participes, ut instet repulsa. Extremo temporis momento fit consensus, sed quo nulla vis politica Unioni confertur. Cur apud multas civitates iterum prævalet nationalismus, etiam apud conditores ut Nederlandiam ? Certe quia memoria alteri belli mundani extenuatur et periculum orientale videtur disparuisse una cum Unione Sovietica, sed etiam quia prosperitas et divitiae augent cæcum amorem sui. ☩

Gaius LICOPPE



Belgica ad celebrandum Fœdus Romanum ante quinquaginta annos pactum nummum duorum euronum cudit ; in hac civitate tres linguæ officialiter agnoscantur, sed spatium in nummo deerat ad inscriptionem trilinguem imponendam ; tunc de commoditate linguae Latinæ recordati sunt auctores, qui inscriperunt : PACTVM ROMANVM QVINQVAGENARIVM - EVROPA. Utinam in multis aliis rebus de commoditate linguae Latinæ cogitent Europæ regentes !

DE FORTVNA PERDITORVM VIKINGORVM

- *scripsit Gaius Licoppe -*

Non solum Polynesienses longissimis navigationibus ad orientem versus omnes insulas Oceani Pacifici usque ad ultimam remotissimamque insulam Paschalem invenerunt atque incoluerunt, sed etiam gentes Scandinaviae longis periculosisque itineribus ad occidentem versus septentrionalem Oceanum Atlanticum transierunt, terras incognitas invenientes atque incolentes.

Nomen Vikingorum ab omnibus notum est æque ac eorum facinora in Magna Britannia, in Europa continentali necnon circa mare Mediterraneum ; minus notæ videntur esse eorum res gestæ in Atlantico septentrionali.

Scandinaviae incolæ sunt stirpis Germanicae septentrionalis ; agros colunt et mercaturam tam audacter faciunt, ut trans Russiam usque Constantinopolin negotia gerant. Solum tamen circa annum 600 p.Ch.n. a populis meridianis discunt velis ad navigandum uti ; iam inde in altum velificare incipiunt.

Circa annum 700 Scandinaviae incolæ tam frequentes fiunt, ut audacissimi eorum novas terras ultra mare quærant. Vikingi, e litore hodiernæ Norvegiae profecti, mare Germanicum transeunt et litus orientale insulæ Britanicæ tangunt. Ibi anno 793 diripiunt magnum locuplesque monasterium in parva insula litorali Lindisfarne situm ; facile est inermes monachos trucidare eorumque bona auferre. Quod cum experti sint, iam potius ut prædones quæstum faciunt quam ut mercatores.

Hic autem non agitur de istis terribilibus facinoribus, quæ sunt notissima. Agitur de altera Vikingorum parte, quæ frigora non timens navium cursum in Atlanticum septentrionalem ad occidentem versus ducit, terras incolendas exquirens. Vikingi imprimis inveniunt insulas Orcades prope litus septentrionale Scotiæ sitas et remotiores insulas Shetland, ubi colonias collocant, quamquam hæ insulæ a Pictis iam occupantur. Tum oceanum longius explorare pergunt et ad solitarias vacuasque insulas Feroe, quæ a Norvegiae litore circiter 650 chilometris distant, circa annum 800 appellantur.

Semper longius ad solis occasum velificantes, circa annum 870 magnam insulam inveniunt a Norvegia circiter 1.300 chilometris distantem ; quæ insula ita glacie obiecta est, ut eam « Terram Glaciæ » (Islandiam) vocent. Estne hæc insula Thule, quam antiqui in extremis orbis terrarum finibus locabant ? Nil certi. Tota vero insula non est glacie opera : in eius margine litorali sunt prata et silvæ, ubi nullus invenitur homo. Itaque Vikingi colonos illuc deducunt cum pecore, qui agros colere incipiunt et brevi crescunt.

Supradicta eventa ab historicis iam diu sunt bene nota, sed, cum iuvenis essem, curiositas mea excitata est libro, cuius auctor autumabat Vikingos etiam longius ad occidentem progressos esse atque ad Groenlandiam, quin etiam ad Americam septentrionalem appulisse. Antiquæ vero narrationes epicæ, « Sagæ » vocatae, quibus hæc eventa narrantur, tunc a plerisque habebantur mythicæ. Ab eo tempore multæ investigationes acutissimis methodis scientificis tam accurate factæ sunt, ut sagarum veritas demonstraretur et historia Vikingorum coloniarum in extremo occidente tandem innotesceret.

Vikingorum societas constat e ducibus, quibus est magna præstantia, hominibus liberis et servis. Hæ gentes sunt valde feræ et irascibiles ; earum duces non desinunt inter se decertare sive pacifice, sumptuositate, sive bellicose, armis. Earum indoles non vere mutatur cum se ad christianismum convertunt, imprimis in Dania, circa annum 960, deinde in Norvegia, denique in Islandia anno 999.

Quidam dux in Norvegia, Ericus Rufus nomine, qui ceteris præcellit ferocia, cædis accusatus, in Islandiam exsul mittitur. Ibi tot scelera cædesque perpetrat, ut anno 982 ex Islandia in tres annos expellatur. Idem, cum audiverit nautas unius alteriusve navis procella ad occidentem longe ultra Islandiam compulsas illic nonnullas parvas insulas adspexisse, statuit illas petere. Tempestas tunc temporis multo dulcior quam hodie facta efficit ut in his septentrionalibus regionibus glacierum moles recedant, id quod favet Erici navigationi, 600 fere chiliometra longæ.

Ab insulis non longe abest magna terra, quam Ericus invenit et cuius litora per tres annos diligenter explorat. Litus orientale, glacie coniectum, est inhospitable, sed in litore occidentali, præsertim secundum sinus, qui longe in terram penetrant, sunt prata et silvæ. In Islandiam reversus Ericus Rufus iterum condemnatur propter violentes rixas ; quare cum classe viginti quinque navium velificat ad terram a se nuper inventam, quam astute vocat « Terram Viridem » (*Groenland*), ut alios colonos alliciat ; nemo enim hanc regionem incolit. In sinu litoris occidentalis suam domum rusticam exstruit, quam « Brattahlid » vocat.

Ericus nescit se maximam insulam invenisse, quam Groenlandiam vocamus, et putat nullam gentem eam incolere. Errat re vera. Quis credit insulam tam glaciam tamque inhospitalem primos incolas iam habuisse 2500 annis ante Christum natum ? Ab eo tempore Amerindi Groenlandiam compluries occupaverunt et reliquerunt ; animalia enim, quibus hæ venatrices gentes vescebantur, aderant vel aberant secundum

tempestatis fluctuationes. Notandum est tempestate in illis septentrionalibus regionibus valde instabilem mansisse post finem ætatis glacialis ante quattuor decem milia annorum factum. Paulo ante Erici adventum in insulæ litus meridionale, Amerindi hanc regionem reliquerant, sed mille circiter chiliometris ad septentriones versus vivebant aliæ Amerindorum gentes, quas archæologi vocant « Dorset ».

In Islandia, post Erici emigrationem, fama fert Groenlandiam bonis liberisque agris abundare, quare intra insequentes decem annos tres expeditiones multos colonos illuc vehunt. Circa annum 1000 omnes agri coluntur a circiter quinque milibus incolarum ; eorum domus rusticæ, circa duos sinus distributæ, duas colonias constituant, quarum multo maior et prosperior est colonia sinus meridionalis, quæ vocatur Colonia Orientalis et circiter quattuor milia incolarum habet ; ibi est « Brattahlid », Erici domus. Minor est Colonia Occidentalis dicta, quæ quingentis chiliometris ab Orientali distat ad septentriones et occidentem versus et solum mille incolas habet.

Quamquam Terra Viridis magis ad meridiem sita est quam maior Islandiæ pars et hodierna Norvegiæ urbs *Bergen*, eis tamen multo frigidior est, cum non tangatur calido fluxu maritimo e sinu Mexicano orto (*Gulf Stream*). Quamobrem herbæ ibi solum tres menses crescunt ; aeris temperatura æstivo tempore numquam excedit decem Celsii gradus ; frumentum ergo coli non potest et plerique incolæ nesciunt, quid sit panis vel cervesia.

Initio Vikingi eadem animalia ac in Norvegia passunt, sed mox animadvertunt hoc fieri non posse. Nullas aves cohortales et mox nullum porcum iam habent, quamquam suillam præ ceteris carnibus amant ; porci enim solum effodiendo vegetalibus mul-

tum nocent. Vaccæ etiam difficulter servantur ; nam tres solum menses possunt sub divo pasci ; reliquum tempus manent in stabulo, ubi feno per eosdem tres menses secto aluntur. Quamobrem decursu temporum eorum numerus minuitur ; solum maiores villæ rusticæ vaccas servant, quæ sunt signum præstantiae socialis. Oves et capræ multo melius aptantur Terræ Viridis tempestati ; novem enim menses sub divo pascuntur, cum herbam invenire valeant etiam sub nivali strato. Earum numerus continue crescit, quamquam ovina et caprina multo minus æstimantur quam bubula.

Archæologi invenerunt incolarum diætam magis magisque constitisse e ferina carne, præsertim tarandorum et phocarum, quia bestiarum domesticarum caro et lactentia non sufficiebant ad homines alendos ; res mira, in reliquiis vix invenerunt piscium ossa. Nesciunt cur incolæ piscem non comedent, cum complures species in aquis litoralibus abundaverint ; agitur fortasse de quodam vetito culturali.

Iam primis colonis patet Terram Viridem neque frugiferam neque vere iucundam esse, quare cogitant de aliis terris ultra inveniendis. Eorum conamina nobis nota sunt duabus narrationibus, quæ sunt « Saga Terræ Viridis » et « Saga Erici Rifi ». His narrationibus, imprimis verbo traditis et tertio decimo sæculo in Islandia scriptis, refertur de quinque expeditionibus intra decennium in « Vinland » factis. Harum narrationum veritatem negabant plerique docti, usque ad Vikingorum stationis inventionem anno 1961 factam in « Sinu Pratorum » (*Meadows*) litoris septentrionalis insulæ Terræ Novæ, quæ hodie vocatur.

America septentrionalis recta navigatione 1.500 chiliometris distat a Terra Viridi. Tantum iter per altum facere non valent naves Vikingorum ; quare, quantum fieri potest, secundum litus navigant, sed sic iter fit



Ædificiorum reliquiae (hic in Terra Nova) vix sunt visibles.



Domus Vikingianæ reconstructio.



Res inventæ : gladius, securis.

dupliciter longum. Transito freto a Davis nominato ad occidentem versus, tangunt insulam Baffini (*Helluland*), cuius litus sequuntur ad meridiem. Transito exiguo Hudsoni freto, tangunt partem continentis Americae septentrionalis, quæ hodie vocatur « Labrador » (*Markland*). Navigationem ad meridiem pergentes, inveniunt insulam, Terram Novam hodie vocatam, amplum sinum fluminis Sancti Laurentii et litora ultra ad meridiem sita, quæ « Vinland » vocant propter feras vites ibi repertas.

« Vinland » appetet ut terra his omnibus rebus abundans, quibus caret Terra Viridis. Cur ergo Vikingi colonias illuc non deduxerunt ? Hoc intellegi potest iam a prima expeditione facta, filiis filiabusque Erici Rufi ducibus. E manu enim novem indigenarum, quæ primum eis occurrit, trucidant octo ; nonus aufugere valet et nimirum populares suos monet. Qui frequentes reversi Vikingos pluvia sagittarum obruunt atque eorum ducem Thoraldum, Erici filium, necant.

Iter e Terra Viridi in terram « Vinland » facere et postea redire, idque intra brevem æstatem, non relinquit satis temporis ad terras explorandas ; quare Vikingi stationem « Leifsbudir » instruunt ad hiemandum aptam, quam archaeologi anno 1961 reppererunt in Terræ Novæ litore septentrionali. Præter sex ædificia, quæ octoginta circiter homines accipere possunt, agnoscuntur officinæ tignarii et ferrarii atque fabricæ navibus reparandis.

Cautiores sunt Vikingi insequentis expeditionis, qui merces cum indigenis commutent. Accidit tamen ut quidam indigena, qui arma rapere conatur, interficiatur. Ad pugnandum accurrint gentiles, sed victores evadunt Vikingi, multis imperfectis indigenis. Vikingi re vera omnes indigenas contemnunt eosque « sckraeling », i.e. miseros, vocant. Nam eorum cultus pertinet ad ætatem lapideam ; neque instrumenta, neque arma metallina habent ; scripturam ignorant. Cum tamen frequentissimi sint, Vikingi mox censem suam mansio-nem in amœnissima regione « Vinland » numquam fore tranquillam ; quare post decem circiter annos explorationis in perpetuum relinquunt stationem

« Leifsbudir ». Hic est finis primi colonizationis con-minis ab Europæis facti in continente, quam tantum quinque sæculis post iterum inventurus est Christoporus Colonus.

Coloni, in Terra Viridi tum inclusi, tempestate non nimis frigida fruuntur, qua etiam fit ut via maritima ad Islandiam et Norvegiam sit libera. Neque desunt prata neque arbores ad materiam et lignum faciendum aptas. Sunt circiter 250 domus rusticæ, quarum singulæ, media adhibita ratione, vicinas hectareas colunt ; earum maxima locupletissimaque vocatur « Gardar ».

Varia ferorum animalium genera vivunt in insula Groenlandia. Multi sunt tarandri in regione quam incolunt Vikingi ; ibi etiam sunt lepores et vulpes. Longius ad septentriones versus, præter ursos polares et lupos inveniuntur singularia animalia, quibus nomen scientificum est « ovibus moschatus ». Ut ex ipso nomine patet, aliquid habet ovis et bovis ; maius ove, minus bove, cornua durissima, incurvata et acuta gerit, quibus lupos repellere valet ; ei est vellus tam spissum, ut facile tolerare possit temperaturam infra 40 Celsii gradus sub zero, sed vix temperaturam ultra 10 gradus supra zerum ; ei sunt latæ unguilæ, aptæ non solum ad ambulandum supra nivem, sed etiam ad nivem effodiendam, ut ad herbam accedat. Huic animali Vikingi videntur non occurrisse, cum viveret in regionibus nimis septentrionalibus.

Multa etiam sunt aquatilia : complures species phocarum et balænarum atque varia genera piscium, squillarum et mitulorum. Vikingi balænas venari non valent. Non omittendum est hoc crassum mammale aquatile, unius tonnæ pondere, cui sunt longissimi eburneique superiores dentes canini ; e Laponum sermone nunc « morsus » vocatur. Vikingi, horum animalium eboris cupidi, æstate ea venantur in regione « Nordrseta » ad septentriones compluribus centenis chiliometris distante.

In coloniarum œconomia varia officia distribuuntur domibus rusticis, quæ inter se sunt conexæ. Exeunte mense Maio, incohatur breve et valde exspectatum tempus phocarum venandarum. Complures enim phocarum species tunc ad septentriones migrantur et feminæ partum edunt in litore, non nimis longe a Vikingorum coloniis. Phocarum caro tunc est omnino necessaria, ne fame pereant, quia carnes et lactentia superiore æstate seposita tunc sunt exhausta. A mense Iunio ad mensem Augustum actuosissimi sunt coloni ; hoc enim tempore e pecoris lacte fabricatur copia casei et iogurti, quæ hieme consumetur. Nonnulli ad « Markland » (*Labrador*) navigant lignum quærentes, alii ad septentriones longinquam regionem

« Nordrseta » petunt, qui morsos et ursos venentur. Solum intra hos tres menses navium commeatus et commercium cum Islandia et Norvegia fieri potest. Exeunte mense Augusto et mense Septembri fenum secatur, exsiccatur et conditur, antequam vaccæ in stabula ducuntur. Domino æstimandum est quanta pecoris pars servari possit pro copia feni ; ceteræ bestiæ occiduntur. Mensibus Septembri et Octobri fit venatio tarandorum. Hieme, i.e. a mense Novembri usque ad mensem Aprilem, bestiæ in stabulis curantur, atque varia opera fiunt : texunt, domos ædificant vel reficiunt, eburneos morsorum dentes apparant... et, non sine causa, Deum precantur, ut copia victus et hominibus et bestiis sufficiat usque ad proximam phocarum venationem.

Vikingorum societas in Terra Viridi non est æquabilis ; in ceteros dure dominantur locupletiores. Mirum est quod mores Europæ sedule servant, quamquam ab ea longissime absunt. Ad quod certe adiuvat religio christiana, quam Leif Erikson, Erici Ruffi filius, iam circa annum 980 in Terram viridem introduxit. Difficile tamen est episcopum allicere. Tantum post multa dona missa, inter quæ vivus ursus polaris maxime desideratus, rex Norvegiæ, Sigurd Jorsalfar, anno 1124 sacerdotem quendam, Arnaldum nomine, in Terram Viridem mittit, qui primus episcopus fiat. Ei succedunt novem, omnes in Europa nati atque educati.

« Gardar », locupletissima potentissimaque domus rustica, fit, ut decet, sedes episcopatus. Inde ad quartum decimum sæculum multa religiosa ædificia extruuntur : ecclesia cathedralis sancto Nicolao dicata ad episcopatus sedem, tredecim ecclesiæ parochiales et multæ minores ecclesiæ, quin etiam monasterium. Ecclesiarum parietes magis ex turfa constant quam ex lapidibus, præter ecclesiam loci « Hvalsey » dicti, quæ tota est lapidea et satis bene servata.

Terra Viridis non solum decimam Romæ solvit, sed etiam supplementum pro cruciatis expeditionibus ; hoc non fit nummis, sed rebus pretiosis. Sex annorum apochæ adhuc servantur, ab anno 1274 ad annum 1280, e quibus patet supplementum constitisse ex 650 chiliogrammis eboris (quod pondus 191 morsos æquat), eiusdem pretii ac duodecim chiliogramma argenti.

Quamquam Terra Viridis nimis raris navibus cum Norvegia coniungitur, commercium instituitur. Exportantur pelles caprarum, vaccarum et phocarum atque lanae textilia, quæ multum æstimantur, cum aquæ sint impenetrabilia. Morsorum non solum eburnei dentes magni æstimantur, sed etiam cutes ad chordas faciendas aptæ et « baculum », i.e. longum os penis. His accedunt longus dens unicornis marini, ursi

polares vivi vel eorum pelles et præsertim falcones orbis terrarum maximi. Hæ exportationes solum commutantur cum bonis pretiosis ecclesiis et ducibus destinatis.

Humana societas in Terra Viridi initio floret, sed paulatim vitæ condiciones fiunt difficiliores ; ipsi enim homines locorum naturam mutant. Solum eroditur, quod turfam auferunt et nimis multas bestias pascunt ; silvæ consulto delentur ad prata dilatanda, unde mox fit egestas materiæ et ligni. Ferrum, quod in singulis rusticis domibus fabricatur magnam ligni copiam consumendo, magis magisque rarum fit. Novæ naves, quæ clavis ligneis et loris e pelle bestiarum coagmentari debent, non sunt satis robustæ, ut in altum navigare possint. Itaque commercium pendet a solis navibus Norvegiensibus, quæ sæpe complures annos exspectantur. Quare incolæ Terræ Viridis anno 1261 sub dicionem regis Norvegiæ veniunt, hac una condicione, ut ille quotannis binas naves in Groenlandiam mittat. Commercium cum Terra Viridi fit monopolium regale et regis agens in Terra Viridi sedet.

Quartum decimum sæculum Vikingis occidentaliibus funestum est. Non solum pestis nigra apud eos sœvit annis 1349 et 1350, sed tempestas multo frigidior fit ; tunc incohatur parva ætas glacialis, ut aiunt historici, qua Terra Viridis a Norvegia secluditur. Colonia Occidentalis eademque minor ante annum 1360 extinguitur, fame, ut videtur. In colonia Orientali optimates suum vivendi modum servant neque superbiam depo- nunt ; ante episcopi domum, exempli gratia, tunc erigitur stela decem metra alta. Ultimus episcopus anno 1378 mortem obit. Anno 1368 ultima navis regalis ad Terram Viridem appellit ; nonnullæ tamen privatæ naves ultra adveniunt, ultima anno 1406. Eius naucle- rus, qui ibi quattuor annos versatur, ultimos nuntios e Terra Viridi affert ; deinde paulatim Groenlandiæ Vikingi in totam Europæorum oblivionem veniunt et usque ad vicesimum sæculum manebunt.

Qualis fuerit eorum finis, non certo scimus. Hoc tamen detectum est, Amerindorum gentes, « Innuit » vocatas, in Terram Viridem revertisse. Circa annum 1200 p.Ch.n. adveniunt in partem septentrionalem occidentalemque insulæ Groenlandiæ. Inde, secundum litus ad meridiem progredientes, attingunt regionem venationis « Nordrseta », ubi necessario Vikingis occur- runt, qui æstate illuc venatum ire solent. Circa annum 1300 prætereunt sinum Coloniæ Occidentalis et circa 1400 sinum Coloniæ Orientalis.

Gentes Innuit, quorum cultus ad ætatem neolithi- cam pertinet, a Vikingis despiciuntur, qui eos « skraeling », miseros scilicet, vocant. Tamen, quamquam acies

eorum instrumentorum armorumque non est metallina, sed ex ebore et osse facta, Innuit multo melius quam Vikingi se ad circumiecta glacilia aptaverunt. Vivunt in vicis complurium denorum habitantium, æstate sub pellibus tarandrorum, hieme in casis nive ædificatis. Supra nivem velociter vehuntur trahis a canibus tractis. In mari duobus generibus navigiorum utuntur. Primum minusque, « kayak » vocatum, unum virum vehit ; eius exiguum alveus constat e leví structura lignea phocæ pelle induita ; vestis viri, qui in eo sedet, etiam ex phocæ pelle facta, artissime alligatur ad stegam navigoli, ita ut aqua id penetrare nullo modo possit ; in stega disponuntur multa instrumenta piscatoria. Alterum navigolum, « umiak » vocatum et eiusdem fabricationis ac primum, complures viros vehit balænam venatum. Innuit enim albo adipem balænae utuntur ad ignem et lampadas alendas ; multo minus ergo a ligno pendent quam Vikingi. Innuit etiam soli

valent phocas hieme venari ; « phoca anulatus » est sola e sex speciebus, quæ hieme ad meridiem non migretur ; potest enim vivere sub glacie strato ; ad respirandum complura foramina servat et adhibet, quæ tegumento nivis dissimulat. Venator imprimis foramen exquirit, postea diu patienter exspectat phocæ adventum ; oportet tunc celerrime lanceolam trans nivem in phocam infigere ; acumen chordæ alligatum manet in corpore phocæ, dum venator hostile sibi servat.

Vikingi mores, consuetudines vestesque Europæas servare voluerunt, quibus sibi videbantur præcellere. Amplius quattuor sæcula Terram Viridem incoluerunt, luctantes cum natura magis magisque hostili propter tempestatem inexpectate frigidorem factam, et circumiectorum damna, quorum ipsi erant causa. In fine extenuati miseris Innuit resistere non potuisse videntur, cum ferro carentes iam armis non prævalerent. ■■■



1. Islandia
2. Terra Viridis (Groenland)
3. Colonia Orientalis
4. Colonia Occidentalis
5. Fretum a Davis nominatum
6. Insula Baffini (Helluland)
7. Fretum Hudsoni
8. Labrador (Markland)
9. Insula Terra Nova
10. Statio « Leifbudir »
11. Æstuarium sancti Laurentii
12. Vinland

VOX URBIS (1898-1913) QVID SIBI PROPOSVERIT

- exscribit atque enarrat Wolfgangus Jenniges -

Mense Octobri anni 1898, hortante Leone XIII præclaræ recordationis Pontifice Maximo, elegantis atque emendatae Latinitatis auctore peritissimo,¹ Aristide Leonori equite moderante atque curante, primus in Urbe prodiit fasciculus novorum commentariorum, qui *Vox Urbis : de litteris et bonis artibus commentarius* inscribantur, qui bis in mense continuata serie usque ad annum 1913 sunt evulgati. Excidium autem *Vocis Urbis* a. 1913 alterius est excidii præsagium aliquatenus et omen, belli videlicet immanis mox successuri, quod annis est 1914-1918 inter omnes gentes gestum, quodque rerum scriptor quidam Italus non immerito notavit voluntarium Europæ excidium.² Quod bellum detestabile post stragem inutilem et sceptræ diruta dubio procul litterarum quoque rem publicam, quæ tam diu inter eruditos totius orbis extiterat homines, quæque non minimam partem Latinas quoque erat litteras edocta Romanoque expressa sermone, simultatibus iurgiis odio disiunxit inique turpius opprimit.

Non autem iam pridem defuisse (quod et nobis, emendati Romanorum sermonis recentioribus est fautoribus in votis) qui Latinitatem excultorum hominum omnis generis omniumque gentium et ordinum cuperent proponere vinculum, civilis cultus atque meracæ humanitatis edicere columnam atque firmamentum, effreni in uniuscuiusque nationis studii remedium communem præbere animum, mutuam fidem, publicum sermonem : vel prima sunt huius fasciculi verba luculentum testimonium. Quæ cum ex bibliothecarum arcanis vindicari pegmatibus haud dedebeat, nonnulla heic iuvat exscribere.³

Etenim Lucidus Parocchi Italus, vir doctus idemque non ignobilis Latinitatis auctor et Urbis tum pro Pontifice vicarius,⁴ in principe primi fasciculi pagina præfatus est hæc :

Ingens nuperrime orbem pene totum desiderium pervasit, doctissimos quosque ad idiomatis unitatem revocandi. Experimentum ad id sumptum in irritum cessit, cum potiusquam unum inter plura loquendi genera eligeretur, antiquitate, diurno usu, vi et ingenita perspicuitate præcellens, novum ad lubitum effectum est, idque sapientia vacuum et elegantia, impervium, barbarum, quod simul ac rerum novarum captatores aggredi cœperunt, litteris exculti homines, consensu unanimi, abiecerunt.

Verum latina lingua, vel ævo nostro doctorum exercitatione probata, iis pollet dotibus, quibus universim, perinde ac generis humani idioma, haud difficile usurpetur. Ea nimurum Virgilium aluit et M. Tullium, Horatium,

Catullum, T. Livium et I. Cæsarem, Sallustium ac Tacitum, Terentium et Plautum, Phædrum et Cornelium Nepotem. Terram, imposito iure, edomuit, temperavit æquitate ; christiana fide abluta, divinam patefecit sapientiam, sacrisque præfuit operandis. Nec eam humanae philosophiae cultores negligere passi sunt, cum præter Scholasticos, ævi renascentis principes, quos inter memoro Nicolaum Cusanum atque Copernicum, in deliciis habuere, et post eos clarissima illa metaphysics et historiae naturalis lumina, Leibnitius atque Linneus.

Tempestive proinde ephemeridem in Urbe edendam Viri amplissimi excogitarunt, quæ novos ac veteres divinæ humanæque sapientiæ thesauros proferens, lati-nam indueret maiestatem.

Cœptum opus gratulor vebementer, D. O. M. adpreca-tus, ut late per orbem diffusa, Vox Urbis, oborituro iam sæculo, dominicam vocem præcurrat.

Ex Āedibus Vicariatus, Romæ, idibus octobribus M.DCCC.XCVIII.

Prima autem fasciculi symbola, nullo quidem scrip-toris nomine insignita, fusius de fine atque proposito novi incepti disserit hæc (p. 1-2) :⁵

Romanum Commentarium latine scripturos haud pœnit superbum sane titulum posuisse. Quid enim romana Urbe maius aut lingua? Ex hac omnium terra-rum arce, ubi divino consilio imperium est constitutum nullis nec Alpium nec Oceani finibus circumscriptum, grandis olim intonuit vox, sive quæ iura et leges impone-ret, sive quæ humanitatem cultumque inferret, unde cursus ad omnem excellentiam barbaris etiam pateret.

Eccui non sunt auditæ populi romani laudes, quum magnæ in rebus omnibus, tum in re militari maximæ? An vero ullam usquam esse oram tam desertam putemus, quo non cum rerum fama romana signa pervaserint? Ac fuit profecto quædam ad amplitudinem et gloriam et ad maxima quæque gerenda divinitus adjuncta fortuna : « Conguebat enim », inquit S. Leo Magnus, « ut pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis ». ⁶ Quibus resonare illa videntur Aligherii poetæ :

Urbs atque imperium, volumus si vera fateri,
Fundamenta loco sancto sunt iacta parando,
Quo sedem antiqui Petri successor haberet.⁷

Itaque vetus illa vox Urbis, sive quæ a Curia mana-ret, consilio omnium amplissimo, quod quasi deorum consessum mortales sunt admirati, sive quæ post eversam libertatem imperatoriæ maiestatis esset atque potentia, tum scilicet quum res maxime florerent, visa est illico conticescere. Silere enim oportuit homines divinis concen-

tibus resonante cælo : in terra pax hominibus. Mox novissimi illius verbi extitere præcones, in primisque apostolorum principes, quorum in omnem terram exivit sonus.⁸ Cuius gratia rumoris quæcumque iniuria temporis aut fortunæ in Urbe ceciderant sunt brevi restituta melius, Romaque iterum,

Facta caput mundo, quidquid non possidet armis Religione tenet.⁹

Christianæ Urbis vocem xx prope sæcula reddiderunt, quamvis nullo tempore defuerint homines malis moribus opinionibusque depravati, qui eam hic illic niterentur opprimere. Hi Evangelii humanitatem et cultum despiciunt, propositaque sibi nulla nisi Curiorum aut Camillorum virtute, quum magnam speciem doctrinæ prudentiæque præseferrent, visi sunt in summa inanitate versari. Nullam enim consecutati sunt eminentem effigiem antiqvæ virtutis, sed adumbratam imaginem gloriæ. Cumque æmulari vellent romanos rerum dominos gentemque togatam,¹⁰ misero quodam fato eo miseriæ devenerunt, ut romani nominis ipsos puderet.

Hæc in eorum consuetudinem non cadunt qui pene cum lacte nutricis amorem Religionis simul et Urbis suxisse videntur. Quorum aures simul vox Urbis percellet, ea statim excipietur sic, ut non alia Roma locuta esse existimetur, quam quæ orbis princeps communi acceptio ne intelligitur. Ea vox veritatem pluribus modis infractam sœpe restituet; ea per occasionem monebit, non legiones, non classes, non regum fædera aut civitatum perinde firma esse imperii munimenta, quam iustitiam, religionem, mutuum amorem, honesta consilia, concordiam; ea stimulus admovebit, ut, pro suis quisque viribus, præsertim multis litteris multaque doctrina, causam Religionis et humanitatis tueatur.

Quod si titulus Commentarii nostri delectat insignis et pulcher, haud est sane quod quisquam latini sermonis usum reformidet. Omittimus quæ de huius pondere, brevitate, copia præstantissimi auctores scriptum reliquerunt; nec divinum et incredibile genus Tullianæ orationis memoramus, nec recensemus permagnas ex iis litteris et ad loquendum et ad recte sentiendum utilitates. Quis enim ignorat et fuisse eam linguam romanæ magnitudini parem et esse modo veluti thesaurum quendam omnis eruditionis et antiquitatis? Aut quem fugit eius vestigia fuisse non pressa leviter ad exigui prædicationem temporis, sed fixa ad memoriam romanæ gloriæ sempiternam? Verum illud potissimum ante oculos obversatur quod catholica Ecclesia, omnis antiquæ maiestatis hæres, quam linguam fatiscentis imperii fortuna obtulit, eam in divinæ sapientiæ interpretem suæque convertit. Quare

nemo prudens obiecerit rem nobis esse cum mortuis, nisi forte velit Ecclesiam, non modo a præteritarum rerum memoria, sed etiam a nostra seiungere. Pravum quoque iudicium erit illorum qui putaverint, nobis, vitio malignitatis humanæ, vetera semper in laude, præsentia fastidio esse. Neque enim ita sumus recentium incuriosi, ut nos doctrinæ cuiusvis incrementa non moveant; quin etiam id ipsum ætati nostræ laudi tribuimus, quod multo acrius quam antea excitata studia fuerint, ut incorrupta inquireretur latini sermonis integritas. Verum, quemadmodum in singulis artibus ducenda simul ratio est et scientiæ et usus, ita etiam latinitate cupimus nos esse non solum perfecte planeque eruditos, sed etiam cotidiano usu limatos. Squalere enim necesse est arma, nisi tractentur; iacere autem arma hæc nostra nec ipsorum dignitas sinit nec Ecclesiæ ratio aut disciplina.

Sed nec præsens humanitas, quæ crescit in dies rebus novis cognoscendis, patitur in latinam linguam tamquam in corpus inspici demortui animantis, studio nullum in usum deducto. Etenim in tanta librorum per orbem colluvie, nisi forte gentium omnium linguas tenere posse arbitremur, loquendi audiendique commercium erit profecto perarduum. Quare multis iampridem visum est oportere homines eruditos eiusdem linguæ societate inter se esse coniuctos. Etsi autem alii aliam proponant, facili negotio intelligi potest latini opportunitatem sermonis probari quamplurimis.

Multa fidem promissa levant: ita multi fortasse cum Flacco.¹¹ Nos autem nulla alia de causa spem foveamus ineundæ gratiæ apud lectores, nisi quod non obscuræ feramus plenum difficultatis ac laboris negotium nobis esse susceptum. Neque enim illud potissimum latet, maiorum sermonem usurpantibus, quandoquidem ab augustea ætate recedere minime liceat, verborum copiam sœpissime defuturam. Qua in re non ita bono animo esse iubet Tulliana sententia in libro I de Finib. «latinam linguam non modo non inopem, sed locupletiorem etiam esse quam græcam»,¹² uti potius illud Quintiliani vulgatissimum, «aliud esse latine, aliud grammaticæ loqui».¹³ Quamobrem, si quando ignobiles verborum opifices esse cogemur, conabimur tamen ut, in universum spectantibus, ea quæ afferemus latine dicta esse videantur. Ceterum, qualiscumque industriæ nostræ erit futura virtus, illud certe recreabit, et Urbis et latinitatis studio animos incendisse, quocum utroque vera fides et humanitas arctissimo sunt nexu coniunctæ.

Sequuntur deinde de «Vocis Urbis antesignanis» hæc a Patre Cæsare De Angelis addita verba (p. 2-3):


Latino sermone elucubratam ephemeridem vulgamus, non tamen opus inausum atque intentatum inimus. Viros quidem non sane multos, sed ingenio et eruditione præstantes in hac via nos antegressos facem nobis prætulisse libentissime fatemur. Omnium fortasse princeps Carolus Henricus Ulrichs dignus est qui maximis ad posterorum memoriam laudibus honestetur. Qui cum discriminata et labores ærumnosisimæ vita nunquam animo percuso et abiecto pertulerit, visus est sibi in linguae latine studio et exercitatione nactus esse perfugium, ubi unice conquiesceret. [...]

Addidit nobis animum tenax viri propositum quo septem continenter annos in hac palæstra desudaverit, non quidem ut fructus ad rem familiarem vel alendam vel ornandam perciperet, cum ætatem pene omnem in maxima egestate transegerit, sed ut linguae latine studium, quantum sibi licuit, proveberet, eamque summo in pretio babendam esse contenderet. Ceterum post eius obitum potissimum inclaruit, cum eruditissimus quisque, non ignarus Alaudarum, illustri eum laude celebrarit.¹⁴ [...]

Sed latini sermonis, dicet quispiam, quæ tandem utilitas? Multa profecto non solum non aspernenda, sed magnopere expetienda. Mitto linguae latine dignitatem, ubertatem, leporem, mitto veterum scriptorum copiam ætatis aureæ, quorum lectione mirifice delectamur, et quorum sermo:

Vehemens et liquidus puroque simillimus amni
Fundit opes Latiumque beat prædivite lingua.
(Hor. Ep. II, 2, v. 120).¹⁵

Num vetari possumus quo minus hoc unum expendamus? Optimum quidem esset, quod fuit et est in optatis omnium hominum sapientium, si id contingeret aliquando, ut omnes omnino universi orbis nationes uno eodemque sermone uterentur, quo omne id quod toti humanæ societati beneverteret, omnibus, nulla interpretationis ope, compertum foret et pene vulgare. Atqui hoc [sic] in communi locutione principatus nisi latinitati detur, nulli unquam dabitur alteri. Cuncti enim homines, cuiuscumque demum nationis sint, ita proprium sermonem diligunt ut censeant non solum esse optimum, sed omnibus aliis esse præferendum; neque ab hoc iudicio recedent unquam, nec patientur hoc suo iure a quipiam fraudari, ac de loco principe dimoveri. Quidquid enim nativum est, nequimus non arctissime et vehementissime adamare. Iam huiusmodi dilectione caret lingua latina, quæ publici iuris est, nec potest quis ut suam sibi vindicare. Video tamen exceptionem non defuturam obiciuentium linguam latinam propriam esse romanæ Ecclesiæ, id quod maxime prohibet ne sermonis latini usus universæ societati communis fiat. Qui enim



Ecclesiæ invidit eique acerrime reluctantur, nulla ætate defuerunt, atque bac potissimum nostra et plurimi sunt, et adversarii quam qui maxime. Fateor hæc esse verissima, nec tamen illud a veritate arbitror aborrere: præter linguam latinam, nullam esse aliam veterem, nec futuram noviter inventam, quæ omnibus præsto sit ut mutua sermonis et societas et communicatio nationes inter amico fœdere contrabatur. Ceterum hæc a nobis obiter dicta esse existimentur. Non enim ita nos decimus, nec tam arrogantes esse volumus ut putemus ephemeride bac nostra id posse nos assequi, quod impedimentis undequaque salebrosissimis irretitur.

Aliæ sunt caussæ, quæ nos movent ut opus hoc tractemus, quod speramus non futurum periculosæ plenum opus aleæ. (Hor. Od. II, 1).¹⁶

Movit nos primum aliorum exemplum et potissimum Præconis latini philadelphiensis, qui ex America in Europam felicissime enavigavit,¹⁷ atque adeo erexit in

*spem nos etiam et in Italia et in ceteris Europæ partibus et apud ceteras gentes transvectos non inhumaniter exceptum iri. Visum est etiam oppido conveniens ut buiusmodi experimenta urbe Roma prodirent, in qua veluti in suo domicilio et floruit et florescit adhuc germana latinitas. Suasit deinde, multorum præclarissimorum virorum querela, qui ægerrime ferunt studium latinæ linguae in adolescentium animis sensim in dies elangescere, et operam omnem et cogitationem ad illud redintegrandum impendunt. Id tandem consequi vebementer cupimus quod egregie animadverit Iosephus Tuccimei, rerum naturæ scientia et multarum doctrinarum cognitione clarissimus, latinam linguam esse restaurandam, sibique auguratur fore ut, qui eruditio præstant atque opes suas assiduo studio conquisitas divulgant, non quique suum sed perspectum doctis omnibus latinum sermonem usurpent et scientiarum incremento prospiciant.*¹⁸

Hisce rationibus adducti manum operi admovimus, remque gerere, quam minimum indecorum facere possumus, in voluntate est.

Si quod volumus eveniet, gaudebimus :

Sin secus, patiemur æquis animis. ☩

(*Pl., Cas. 2, 6, 24.*)¹⁹

1. Natus anno 1810 in oppido quod vulgari nomine « Carpineto » innotuit, prope Urbem in Volscorum qui fuerant sito finibus, summam in re publica Christiana annis 1878-1903 illustravit Cathedram. Eius scripta Latina plerumque sunt in *Actis Leonis XIII* (sive *Actis Sanctæ Sedis* 10 [1878] - 36 [1903]) edita. Carmina autem eius anno sunt 1903 publici iuris facta : Joseph Bach, ed., *Leonis XIII P.M. Carmina. Inscriptiones. Numismata. Vollständige Ausgabe mit Einleitung und Anmerkungen*, Coloniae, 1903.

2. Quodque anno iam 1900 exeunte Leo XIII P.M. præmonere visus est et præsagire versibus his :

Cultrix bonarum nobilis artium

decedit ætas ; publica commoda

viresque naturæ reiectas,

quisquis avet, memoret canendo.

Sæculi occidentis me vebementius

admissa tangunt ; bæc doleo et fremo.

Prob, quot retrorsum conspicatus

dederorum monumenta cerno..

(*Ineuntis sæculi auspicia*, ed. J. Bach, *op. laud.*, p. 92-94).

3. Iosepho Sancto Martino (D. José M. Sánchez Martín) Salmanticensi, amico fido viroque doctissimo, gratias ago qui complures ex suis mihi thesauris suppeditaverit *Vocis Urbis* fasciculos.

4. Lucidus Maria Parocchi, Mantuae anno 1833 natus, anno 1871 episcopatum

adeptus, anno 1877 a Pio IX P.M. sacra purpura ornatus usque ad annum 1882, infesta re publica atque invita, Bononiæ archiepiscopi munere est functus, inde ab anno 1884 variis muneribus curia Romanae administrandæ adscriptus, Urbis evasit vicarius et a. 1896 sacræ quoque Romanae et Universalis Inquisitionis est a secretis constitutus, supremum diem anno 1903 ineunte obiit. Scripsit cum alia tum perutilem *Commentarium in sacrosanctum Concilium Ecumenicum Vaticanum*, duobus voluminibus absolutum, a. 1875-77.

5. Ubi sit utile visum, nostro Marte addidimus quæ sequuntur adnotatiunculas.

6. Cf. divi Leonis I, cognomine Magni, P.M. (440-461), sermonem *in natali apostolorum Petri et Pauli*, ubi legimus : *Disposito enim divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confederarentur imperio [Romano videlicet], et cito pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis* (Leo M., *Serm. 82, 48*, ed. A. Chavasse, 1973, CCSL 138A). Qui sermo in Romanæ ecclesiæ divino officio prælegitur in die festo Apostolorum Petri et Pauli (d. 29 m. Iunii), in matutini secundo nocturno.

7. Quæ verba, Latina quidem veste induita, nisi vebementer fallimur, ex Dantis Aligherii *Divina Comædia* priore carmine, quod *Infernū* inscribitur, sunt deprompta, ubi Tusce legimus hæc (II, 20-24) : *ch'efu dell'alma Roma e di suo impero / nell'empireo ciel per padre eletto: / la quale e l quale, a voler dir lo vero, / fu stabilita per lo loco santo / u' siede il successor del maggior Piero.*

8. Cf. divi Pauli Apostoli epistulam *ad Romanos* 10, 18 : *in omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (cf. Ps. 18 [19], 5).

9. Deprompti sunt hi versiculi ex divi Prosperi Aquitani (s. V) carmine *De ingratis* (PL 51, 97, vv. 39-42) : ... *Pestem subeuntem [= Pelagii errorem] prima recidit / Sedes Roma Petri : quæ pastoralis honoris / facta caput mundo, quidquid non possidet armis / religione tenet ...*

10. Est hic notissimus ex *Aeneide* versus (1, 282).

11. Cf. *Epistularum* 2, 2, 10-II : *multa fidem promissa levant, ubi plenius æquo / laudat venalis qui vult extrudere merces.*

12. Cf. *De finibus*, 1, 10.

13. Cf. *Institutionem oratoriam*, 1, 6, 27.

14. De viro docto Carolo Henrico Ulrichs (1825-1895) eiusque fasciculis, annis 1889-1895 in Italiæ editis, qui *Alaudæ* inscribantur, in *Melissæ* fasciculo n. 125 (2005), p. 4-7 fusius retulimus.

15. Versus Horatianus (*Epistularum* 2, 2, 120-121) paulum est mutatus : *vebens et liquidus puroque simillimus amni / fundet opes Latiumque beabit divite lingua.*

16. Cf. *Carminum* 2, 1, 6.

17. *Præco Latinus (Folia gentium Latina menstrua, litteraria, ac critica, ad propagandum sermonem Latinum, necnon ad fovendum litteras Latinas)* Philadelphiæ, in civitatibus America fœderatis, inde ab anno 1894 editus erat a viro docto Arcadio Avellano (Mogyoróssy Árkád) Hungaro (1851-1935).

18. Additur heic adnotatio : « Vide, sis, eius libellum, qui inscribitur : *La lingua scientifica internazionale, o Restauriamo il latino*. Roma, 1892. » Iosephus autem Augustus Tuccimei Romanus (1851-1915) medicus fuit et geologus, neque sanae philosophiae ignarus. Numeratur inter conditores Societatis zoologicæ necnon Societatis geologica Italicae.

19. Cf. Plauti *Casinam* 375-377 : *optimum atque æquissimum istuc esse iure iudico. / postremo, si illuc quod volumus eveniet, gaudebimus ; / sin secus, patiemur animis æquis.*

DE RATIONALI DEI EXSISTENTIÆ PROBATIONE

– *scripsit Geraldus Wailliez –*

Samius* Jansson in hoc commentario nuper¹ thesin defendit Dei exsistentiam naturali ratione, e visibilibus mundi rebus earumque ordine, probari non posse quia « indicis naturalibus demonstratur nihil præter rerum naturalium exsistentiam ».

Prima vitanda est ambiguitas. Deus ut « ens supernaturale » (p. 15, col. 1, al. 2) est Sanctissima Trinitas et revera ratione nec demonstrari nec cognosci potest, sed sola Revelatione.² Attamen aliter agitur de Deo ut mundi creatore et ordinatore seu « designatore »,³ de quo, ut ceterum ipse notat auctor, iam pagani philosophi disserebant.

Verum quoque est probationem sic dictam ontologiam Dei exsistentiæ a sancto Anselmo (et postea a Cartesio) propositam non valere, quod iam longe ante Hume et Kant ipse sanctus Thomas Aquinas ostenderat.⁴ At huius Aquinatis probationes (sic dictæ « quinque viæ »)⁵ ad illam ontologicam « probationem » nullo modo reduci possunt, ut falso putabat Kant, quia non ex (falsa) evidentiâ, i.e. ex ipsius deitatis conceptus analysi, veniunt, sed e contra « per ea quæ facta sunt »,⁶ i.e. « per visibilia creationis opera, tamquam causa[m] per effectus ».⁷

« Nihil esse in intellectu quod non prius fuerit in sensu » iam longe quoque ante Locke agnoverant Aristoteles, sanctus Thomas aliique multi.⁸ At « intellectus noster intelligit materialia abstrahendo a phantasmatibus ; et per materialia sic considerata in immaterialiæ aliqualem cognitionem devenimus »,⁹ ita ut respuendi sint ambo contrarii errores, alter quidem inneismus idearum platoniarum, alter autem empirismus seu sensualismus agnosticus, nec intellectus humani naturalem potentiam excedit hæc propositio : « Cum effectus dependeant a causa, posito effectu necesse est causam præexistere. Unde Deum esse, secundum quod non est per se notum quoad nos,¹⁰ demonstrabile est per effectus nobis notos ».¹¹

Quod ceterum omnimodis in materiis cottidie fit analogice. Sic accidit, sæculo XIX, ut exsistentia planetæ Neptunii probata sit antequam astronomi hanc telescopiis viderunt. Sic quoque, si cadaver decem pugionis ictibus confossum inveniatur, nulli publici vigiles vel iudices dubitabunt de nece voluntaria agi nec reo credent dicenti ex his « indicis naturalibus » demonstrari non posse quid mente conceperit, quod est « præter rerum naturalium exsistentiam » !

Patet quoque, cum de « theologia naturali » loquimur, de supra philosophiæ parte agi, i.e. de Deo ut naturali rationis lumine cognoscitur, non de φυσικῇ quasi Deus pars esset mundi, pantheistica absurditas. Attamen « Deus est in rebus omnibus, non quidem

sicut pars essentiæ, vel sicut accidentis, sed sicut agens adest ei in quod agit. Oportet enim omne agens coniungi ei in quod immediate agit. (...) Cum autem Deus sit ipsum esse per suam essentiam, oportet quod esse creatum sit proprius effectus eius, sicut ignire est proprius effectus ipsius ignis. Hunc autem effectum causat Deus in rebus non solum quando primo esse incipiunt sed quamdiu in esse conservantur ; sicut lumen causatur in aere a sole quamdiu aer illuminatus manet. »¹² Aporia igitur auctoris deletur de exsistentia Dei, mundi quidem creatoris et designatoris, sed « extra mundum iam a principio ».

De illis quinque thomisticis viis hic fusius dissere-re non possum. Qui hanc rem altius inquirere vult legat v.g. opera Ludovici Jugnet vel Patris Gardeil (t. IV, *Metaphysica*) de quibus supra (nota 8) vel aliquam editionem quæstionum de Deo Summæ theologiæ¹³ vel, si ei tempus, perseverantia mentisque acumen adsunt, R. Garrigou-Lagrange, *Dieu, son existence et sa nature. Solution thomiste des antinomies agnostiques* (Parisiis, Beauchesne, 1^a ed. 1918).

Concludendo adhuc notare velim hæc omnia valere etiam si hypothesis (saltem valde dubiam)¹⁴ evolutio-nismi admittamus. « Creationismus » enim, ut sic, phi-losophica, non scientifica (moderno sensu) est notio, quamquam certissime scientiis biologicis nullo modo repugnat, quin etiam quinta via, de ordine mundi,¹⁵ validissima ac semper nova ex his firmamenta accipit.¹⁶

« Evolutio », ut patet, fieri non potest nisi e præex-sistentibus rebus, quibus necessario propriæ habendæ sunt causæ, et ultimo prima causa incausa (« secunda via »). Hæc insuper evolutio « motus » est (sensu Aristotelico), qui motorem a moto distinctum requirit, nec (ut « prima via » probatur) in infinitum revertere possumus in horum motorum catena, ita ut ad primum movens immobile deveniendum sit. Ac tandem, quæ-cumque est illa evolutio, secundum mirum, stabilem cohærentemque ordinem efficitur, qui casu (seu « for-tuna - τύχη ») explanari nequit, quia inde nec necessaria nec quæ semper aut plerumque fiunt procedere possunt¹⁷ (« quinta via »). ■

* Filiæ maximæ natu S'rī Mariæ-Elisabeth, O.P., gratias ago, quæ me bonis consiliis adiuverit. Ego autem, ut par est, menda, inelegantias amphiboliasque huius textus, si quæ sunt, solus præsto.

1. N° 137, 16 Aprilis 2007, p. 15-16.

2. Quamquam, Revelatione facta et per fidem accepta, philosophia, inquan-tum « ancilla theologiæ », suis vero rationalibus methodis utens, hoc myste-

rium illustrare potest.

3. Cf. quod Anglice « intelligent design » appellatur.

4. *Summa theologiae* (postea « STh »), I^o, qu. 2, art. 1.

5. STh, I^o, qu. 2, art. 3.

6. S. Paulus, *Rom.*, I, 20 ; *Liber Sapientie*, XIII, 1 ; STh, I^o, qu. 2, art. 2 ; *Conc. Vaticanicum I*, sess. III, cap. 2, can. 1, Denzinger-Schönmetzer (postea « D.S. »), 3004 et 3026.

7. S. Pius X, *Iusirandum contra errores modernismi*, D.S., 3538.

8. Ut unum exemplum afferamus, apud fidelem hodiernum commentatorem aristotelico-thomisticae philosophiae legimus : « Notre connaissance intellectuelle vient tout entière des sens » (*Cognitio intellectualis nostra e sensibus tota procedit*) : H.D. Gardeil, O.P., *Initiation à la philosophie de saint Thomas d'Aquin*, 3^e ed., t. III, Parisii, Cerf, 1966, p. 85. Inter alia plurima laudabilia opera optimam fortasse breviorem expositionem thomisticae philosophiae vide : L. Jugnet, *Pour connaître la pensée de saint Thomas d'Aquin*, 1^o ed. 1948, 5^o ed. a J.Cl. Absil revisa, Parisii, N.E.L., 1999.

9. STh, I^o, qu. 85, art. 1, resp.

10. I.e., non nobis cognoscibile ut evidens, contra sic dictam ontologicam probationem (cf. supra).

11. STh, I^o, qu. 2, art. 2, resp.

12. STh, I^o, qu. 8, art. 1, resp.

13. Notissima, Francogallica lingua : *Dieu, t. I, I^o, questions I-II*, textus Latinus cum translatione et notis ab A.D. Sertillanges, O.P., 6^o ed., Parisii, Tornaci, Romæ, Desclée et Cie, 1958 (agitur de editione sic dicta « de la Revue des jeunes »).

14. Hac de re vide, inter multa alia : G. Salet, *Hasard et certitude. Le transfor-*

misme devant la biologie actuelle, Parisii, Téqui, 1972 ; M. Denton (præses Centri humanæ geneticae Sydneyensis), *Évolution une théorie en crise*, Parisii, Londreys, 1988 (hic autem admittit non solum, ut patet, « micro-evolutiones » inter varietates eiusdem speciei, sed etiam, quod disputatur, inter vicinas species).

15. De hac quinta via notandum est ne ipsum quidem Kant, nisi fallor, affirmare ordinatorem mundi simul eius creatorem esse non posse, tantum autem ordinationis non necessario eundem agentem esse ac creationis. Quod valeret si mundus mera machina esset. Sed contra « ordo in mundo repertus non est qualiscumque, extrinsecus, at e rebus secundum quod ipsæ sunt agentibus procedit, ita ut hic ordo cum ipso ente connectatur causamque quæ ens explanet, i.e. creatricem, requirat. » (Sertillanges, *op.cit.*, de quo in nota 13, p. 346-347 – interpretatio mea).

16. Cf. i.a. J. Daujat, *Physique moderne et philosophie traditionnelle*, 1958, reimpr. 1983, Parisii, Téqui. Notandum tamen est hunc auctorem non necessario reicere videri hypothesin materialis continuitatis inter corpus primi hominis et præexistentis animalis, quod error non tantum theologicus sed etiam philosophicus videtur in quantum anima ut forma corporis in materia apta recipi debet, ita ut corpus bestiæ ab anima spirituali informari nequeat absque priore fictione ad hoc. Non tantum igitur christianam sed philosophicam quoque veritatem enuntiat Catechismus ad usum omnium Belgicarum diocesium (1946, pluries reimpressus) : « Deus Adæ et Hevæ corpora Ipse formavit (« forma Lui-même ») ; animas eorum ex nihilo creavit eorumque corporibus univit » (qu. 53).

17. Cf. Aristotelem, *Physica*, II, 5, 196b.

OMNIA SAPIENTIBVS FACILIA

adagium 1856

DE CONVENTV NEAPOLITANO

- *primi nuntii allati* -

Aloisius Miraglia conventum totum Latinum Neapoli instituit a die 15 in diem 22 mensis Iulii huius anni. De quo in his paginis mox plura. Aloisius ad verba de humanitate ibi facienda multos homines invitavit, inter quos Melissæ moderatores. Qui infelicitate invitationem accipere non potuerunt, cum inviti impedirentur ne hac æstate a patria discederent. Magna tamen curiositate compulsi, amicos Stephanum Feye et Carolinam Thuybaert, modo Neapoli reversos, de conventus successu narrantes libenter auscultaverunt.

Ingens fuit frequentia participum, ad trecentos, inter quos oratores septuaginta quattuor numero fuerunt. Hac multitudine non impeditum est, quin omnes urbane acciperentur et bono ordine ad hospitia dirigerentur. Oratores invitati sunt ad pernoctandum in lauto devversorio ad maris oram sito ; plerique ceterorum participum hospitium habuerunt in ephebeo publico a Víctorio Emmanuel nuncupato ; singuli acceperunt magnum sacciperium, quo omnia ad conventum participandum utilia continebantur.

Lunæ die 16 m. Iulii conventus inauguratus est in Instituto Italico Philosophiæ Studiis Provehendis. Coronam salutaverunt imprimis urbis potestates et magistratus, deinde academiarum institutorumque cultui humanitatique provehendis professores et præsides ; inter eos Gerardus Marotta, advocatus qui ipsi Instituto Philosophiæ præest atque ad conventum instituendum magnam pecuniam publicam tribuit.

Postea Michael von Albrecht, emeritus professor universitatis Heidelbergensis, acroasin inauguralem habuit de ipso conventus themate generali ; titulus enim fuit « De humanitatis studiis et de pugna, ad quam nostra ætas nos provocat ». Hæc fuit oratio

magnifica, magno plausu accepta.

Singularitas huius conventus fuit diversitas locorum ubi res gerebantur. Lustrationes variæ intermiscebantur acroasibus, quæ singulis diebus alio loco habebantur.

Iovis die 19 m. Iulii participes rædis longis Pompeios vecti sunt, ubi antemeridiano tempore antiquum oppidum lustraverunt. Opiparum prandium eis præbitum est in devversorio extra antiquos muros sito. Postea acroases factæ sunt in theatro novi oppidi. Hora vicesima participes redierunt in antiquum oppidum, ubi in odeo Plauti comoëdiam c.t. Miles Gloriosus spectaverunt.

Neque ars musica est neglecta ; bis enim præbitus est concentus musicus, unus a filiabus Michaelis von Albrecht, alter a Stephani Feye filiis.

Non solum amici nostri Americani, Terentius Tunberg, Milena Minkova et David Morgan, Neapolin advolaverunt ad verba facienda, sed etiam fuerunt nonnulli inexspectati oratores. Inexspectatus enim mihi est Ahmed Etman, universitatis Cairensis, qui locutus est « De hominum sodalitate ab Athenis antiquis ad Bagdatum hodiernum ». Youm Seong quoque, universitatis Seulensis, qui humanismum comparavit in Oriente et in Occidente.

Stephanus et Carolina Neapoli reverterunt entusiastici ; manifesto viret Latinitas viva ; præterea valde mirati sunt conventus lautitias. Sunt tamen aliquæ umbræ. De tanto conventu perpaucia relata sunt in actis diurnis ; insuper fuerunt, qui Gerardum Marotta acriter increpabant, quod tantam pecuniam publicam dedisset hominibus nugas agentibus ac supervacaneas rhetorum exercitationes agitantibus. ♦♦



Aloisius Miraglia et Valahfridus Strob.



In urbis Pompeiorum novo odeo.

DE NOVIS LIBRIS

I. TUSIANI, *In nobis cælum. Carmina Latina*, ed. Emilio Bandiera, Leuven University Press, Supplementa Humanistica Lovaniensia XXII, 2007, 428 p., ISBN 978-90-5867-599-6

Quamquam multæ iam prodierunt carminum
Tusianeorum editiones, permulta adhuc restabant in
unum volumen componenda. Quæ in hoc libro ab
Æmilio Bandiera collecta sunt una cum versione
Italiana, præfatione et indicibus. Lectori libro evolventi
primum obversatur magna varietas argumentorum
metrorumque. Amor, patria, Deus, eventa politica aut
familiaria, anni tempora, curæ cottidianæ, dolores et
voluptates, ætates, amici : omnis vitæ particula est
afflatus poeticus, ita ut Iosephus Tusiani iure meri-
toque haberi possit poeta huius ætatis maxime fecun-
dus. Inter tot tantasque gemmas liceat, tamquam exem-
pla, has afferre duas :

Invocatio.

Carmen absurdum sed amore plenum,
Musa, mi dictare velis supremum,
Musa, quæ in terra solito vocaris
nomine Vita,

carmen absurdum sed amore plenum
candide expromptum sed enim sine ulla
voce, contextum harmonia superna,
corde sed altum

pectore e nostro, breve et amplum et unum,
carmen absurdum sed amore plenum,
floribus fragrans sed odore florum
fortius ipsum,

sole sustentum, superans sed ignem
lumine interno, sine versibus sed
conditum antiquis numeris novisque
atque futuris,

carmen absurdum sed amore plenum,
omnis ætatis capiens loquelam,
semper at de me refluens meaque
mente resurgens,

carmen absurdum velut omne vivum,
carmen absurdum velut omne vanum,
sed repletum omni redimenti amore,
munere Morti.

Canticulum.

Parce, lector. Versus isti
Nati sunt in corde tristi,
Sed si remanes et audis
Canam tibi cantum laudis.
Canam tibi carmen carum,
Carmen optimum et clarum
Quod lætificabit me
Placabitque trucem te.
Non uxorem mihi dedere
Neque amorem tribuere
Fata aspera maligna :
Nulla mulier benigna
Fuit dulcis, fuit digna,
Fuit mater, fuit mea,
Fuit domina et dea.
Sed si remanes et audis
Canam tibi cantum laudis.
Trans longinquos montes ibo
Sine aqua, sine cibo.
Inter multas quas videbo,
Adiuvante novo Phœbo,
Inter multas expectantes
Reges suos properantes,
Tandem potero divinam
Meam cernere reginam.
Hora ruit, ruit vita :
Veni, sponsa, non invita.
Ad me veni, dulcis era,
Ad me veni, quamquam sera,
O columba delicata
Quam misere nigra Fata,
Rosa unica suprema,
Veni, veni hora extrema.
Dabit Deus iuuentutem
Novam nobis ac salutem,
Et ad multos annos meam
Diligam dominam et deam.

A. UDERZO, *Asterix. Cælum in caput eius cadit*, in Latinum vertit A. Coloniata Fuxiana, Paris, Les Éditions Albert René, 2007, 56 p., ISBN 978-2-86497-208-2

Verum est : cælum in caput eius cecidit. Cuius ? Auctoris, per Teutatem ! Nam pol raro licet fabulam tam egregie stultam legere. Agitur de extraterrestribus, qui ruchetis vecti Gallorum vicum invadunt. Nomen habent « decemnasuti », « supersuboles » aut « muribuccones ». Alii auxilium petunt a Gallis invictis, alii potionem magicam habere volunt, fit magna clades et in fine omnia iterum bene se habent. Plura non narro, non ut suspenso animo, lector, maneas, sed quia huiusmodi ineptiæ me contristant. Versio Latina sale caret, at eheu neque mendis, neque horridis gallicis-

mis. Præterea, etiam si istæ locustæ extraterrestres non putantur Latine tam bene scire quam Obelix, vix tamen tolerabiles sunt sermones huius generis : « Si te habere magnum cumulum telorum mortiferorum te mihi donare » (p. 21), et multa alia eiusdem farinæ. Adiunctus est index vocabulorum (in quo invenitur « computatorium » loco vocabuli « computatrum » sive « ordinatum ») et index citatorum ; personæ enim huius fabulæ libenter loquuntur ut rosaceæ paginæ lexici Larousse, id quod semel aut bis factum iucundum esse potest, sed sic, sine modo, enecat.





In hoc fasciculo !

De quodam tristi die natali [G. Licoppe] p. 1

De Fortuna perditionum Vikingorum [G. Licoppe] p. 3

Vox Urbis (1898-1913) quid sibi proposuerit [V. Jenniges] p. 8

De rationali Dei exsistentiae probatione [G. Wailliez] p. 12

De conventu Neapolitano p. 14

De novis libris p. 15

Imago tegumenti : xylographemata sexti decimi saeculi, quibus illustratur

maritima Vikingorum vita (excerpta, sicut imagines p. 4-5, e

T. Jacobson, La découverte de l'Amérique, Les Éditions de l'Homme, 1991).

INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ

a Melissa præbetur omni Mercurii die ab hora 18 ad horam 19.30 in præstanti Museo Domus Erasmianæ (31, rue du Chapitre, 1070 Bruxelles).
Lectiones incohabuntur die 3 m. Octobris.

Si quis plura scire cupit : tel. + 32 (0) 475.47.55.18, g.licoppe@skynet.be

